Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

rare cepit in terra. et necessarias habere illas nubes. Ante peccatum vero cum
viride agri et pabulum fecisset deus quo nomine invisibilem creaturam
diximus significari. irrigabat eam fonte interiori. loquens in intellectu
eius. ut non extrinsecus verba exciperet tamquam de supradictis nubibus
pluviam. sed fonte suo. hoc est de intimis suis manante veritate satiaretur.
Fons enim ascendebat de terra. inquit et irrigabat omnem faciem terre. de terra
scilicet de qua dicitur: Spes mea es tu. portio mea in terra viventium. Quando autem
anima tali fonte rigabatur. nondum per superbiam proiecerat intima sua.
Initium enim superbie hominis apostatare a deo. Et quoniam in exteriora per superbiam
tumescens cepit non irrigari fonte intimo. bene illi insultatur verbis
propheticis. Quid superbit terra et cinis. quoniam in vita sua proiecit intima sua?
Quid est enim aliud superbia. nisi deserto secretario conscientie foris videri
velle quod non est? Ideo iam in terra laborans necessariam habet pluviam de nu-
bibus id est doctrinam de humanis verbis. ut etiam hoc modo possit ab
illa ariditate revirescere. et iterum fieri viride agri. sed utinam et pluviam de veritatis
ipsis nubibus libenter excipiat. Nam propter illam dominus noster nubem carnis
nostre dignatus est assumere. et ymbrem sancti evangelii largissimum infundit. pro-
mittens etiam eum qui biberit de aqua eius redire ad illum purissimum fontem.
ut forinsecus non querat pluviam. Dicit enim. fit in eo fons aque salien-
tis in vitam eternam. Iste ergo fons ante peccatum ascendebat de terra. et irri-
gabat omnem faciem terre. quia interior erat. et nubium non desiderabat auxilium.
Nondum enim pluerat deus super terram. nec erat homo qui operaretur in ea. Cum
enim dixisset non dum pluerat deus super terram. subiecit et causam. quare nondum pluerat.
quia non erat homo qui operaretur in ea. Tunc autem homo cepit operari in terra. cum post
peccatum de beata vita dimissus est qua in paradyso fruebatur. Sic enim scrip-
tum est. Dimisit eum dominus deus de paradyso suavitatis. ut operaretur terram de qua
et sumptus fuerat. Unde suo loco requiremus quod nunc ad hoc commemoravi.
ut intelligeremus laboranti homini id est in peccatorum ariditate constituto necessariam
esse de humanis verbis divinam doctrinam. tamquam de nubibus pluviam. Talis
autem scientia destruetur. Videmus enim nunc in enigmate tamquam in nubilo.
sententias querentes. tunc autem facie ad faciem quando universa facies terre
nostre interiore aque fonte salientis irrigabitur. Nam si fontem aliquem hu-